

ADDITAMENTUM AD COGNITIONEM THYSANOPTERORUM.

Auctore JOSEPHO JABLONOWSKI Budapestinensi.

(Tab. IV.)

1. *Thrips ornata* n. sp. Tab. IV. a—c.

♀ Piceo-nigra, opaca. (Tab. IV., a.)

Caput rufum, aciculatum, subquadratum (long. 4 : lat. 9.) pronoto partim obtectum; parte antica interoculare leviter bisinuata, lateribus subrectis minimeque muricatis; oculis prominentibus, subrotundatis; ocellis ferrugineis, posticis duobus granulis oculorum majoribus, ocello antico posticis minore.

Antennae (Tab. IV., c.) novem articulatae; articulo primo (long. 2 : lat. 4) stramineo (nonnunquam toto, vel pro parte abscondito), lateribus subrotundatis, margine antico sinuato, apieque anguli interni setula minima praedito; articulo secundo (5·2 : 5) fumato-brunneo, omnium crassissimo, rotundato, basi vero constricto, intus seta unica, ceteraque parte setulis nonnullis sparsim obtecto; articulo tertio praecedente paullo longiore, sed angustiore (5·5 : 3·3), toto flavo, basi constricto et apicem versus dilatato, lateribus subrotundatis setisque nonnullis obtecto; articulo quarto et quinto praecedenti similibus, (hoe 4·5 : 3 illo 5 : 3·1), gracilioribus, ovalibus et flavis, articulo quarto trichomatibus duobus, quinto trichomate solum uno externo praedito, articulo utroque setis remotis obtecto; articulo sexto subovali apice truncato (3·5 : 2·4), basi constricta sordide-flavo ceteraque parte fumato, intus seta longissima instrueto; articulis tribus ultimis inter se fere connatis, apicemque versus gradatim minuentibus (articuli septimi 1·8 : 1·3, art. oct. 1·3 : 1, art. non. 2 : 0·6), articulo septimo (si illum superne adspicias) a praecedente oblique, octavo a septimo et hoc autem a penultimo vero recte disiuncto; articulis his setis nonnullis parvulis vestitis.

Prothorax (7 : 11) subquadratus, lateribus angulisque rotundatis, pronoto margaritaceo-albo, maculis (prope medium partis basalis) duabus, et ante has versus partes laterales atomis duobus obscuris notato (maculas atomosque in speciminibus solummodo vivis, vel exsiccatis videbis). Mesothorax (5 : 14) metathorace (6 : 15) connati simulque sumpti subquadrati, angulis subrotundatis, metanoto ante basin alarum aciculato, inter bases alarum vero reticulato.

Pedes crassi femoribus tibiisque fumatis, superficie reticulata (quasi squamosa!). Femora antica crassa (13 : 5), flavidо-fuscata; tibiæ anticæ (13·5 : 6) crassæ, fumatae, apicem versus paullo albidescentes, setis non-nullis minimis obtectæ, apice imo seta unica præditæ; tarsi sordide fumati haud bene distinguendi; tarsus primus (seu basalis) apice seta una instrutus; vesicula fumato-hyalina. Femora-intermedia (16 : 5·5) anticis similia, paullo longiores; tibiæ intermediæ (13 : 7·5) anticis paullo crassiores, his vero concolores. Tarsi et tarsorum armatura vesiculaque illis pedum antecorū similes. Pedes posticii forma, armatura, coloreque præcedentibus similes sed nonnihil longiores (fem. 20 : 6·2; tib. 15 : 5·5).

Alæ elongatæ, abdomen superantes, vel apicem eius vix attingentes, angustæ ensiformes. Hemelytra (Tab. IV., d) basi dilatata (44 : 5), deinde angustata (medio 44 : 2) et parte apicali paullo inflexa, albida, fasciis quatuor fumatis i. e. basi, parte antica trientis longitudinis suæ secundi, tertii et imo apice ornata; venis quatuor longitudinalibus, quarum prima pone marginem anticum, secunda et tertia in medio hemelytri, quarta in ipso margine postico percurrit. Vena prima et secunda a basi hemelytri oriuntur, vena tertia in parte secunda trientis hemelytri longitudinalis primi oritur, venaque quarta tantum pone apicem appendicis hemelytri. Vena prima et quarta attingunt apicem hemelytri, vena secunda et tertia non, deinde vena prima et secunda, secunda et tertia in parte secunda trientis hemelytri basalis venis transversis coniunctæ. Vena secunda solum ciliis longis, vena quarta vero ciliis et pilis perparvulis præditæ sunt. Appendices hemelytrorum fumatae et apice setis duabus vestitæ. Alæ posticæ hemelytris angustiores (lat. hemelyt. 2 : lat. alar. 1·3), albidae, vena longitudinali una obscurecente, marginibusque longo-ciliatis.

Abdomen segmentis decem compositum, fusiforme (31 : 18), superficie haud distincte reticulata, superne opacum, medioque vita longitudinali lata nonnihil diluta, subtus vitta longitudinali nitida; segmenta interse æquilonga, segmento nono omnium longissimo, segmento decimo vero omnium brevissimo ac angustissimo; segmentis ultimis setis nonnullis præditis.

Long. 0·686—0·742 millim., lat. (ventralis) max. 0·252 millim.

♂ Flavus, femina multo minor. (Tab. IV., b.)

Caput subrotundatum (3 : 7·5) flavum, oculis nigris, ocellis læte-ferugineis; antennis novem articulatis, forma his feminæ similibus; articulis 3—5 trichomate solum uno interno præditis; articulis 1—3 totis et quarto solum apice flavis, articulis cæteris vero infumatis. Prothorax huic feminæ similis, *in speciminibus vivis viride-flavus* (5 : 8); meso- et metathorax connati, flavi (11 : 11); alæ forma, pictura et longitudine his feminæ similes fasciæ vero albidae haud bene distinctæ. Pedes fumato-flavi. Abdomen flavum, fusiforme, (20 : 9·1), ad angulos posticos segmenti septimi, octavi

et noni setis singulis præditum, quarum setarum haec in segmento nono maximæ sunt. Glandulæ geminæ perlucientes.

Longt. 0·56 mill., latid. (thoracalis max.) 0·14 millim.

Larva. Paullo post exitum ex ovo pallide-livida, deinde ochracea, subpellucida; oculis sanguineis, ocellis nullis; antennis septem articulatis; articulo primo subquadrato, articulo secundo et tertio trianguliformibus, basi angustissimis; articulo quarto oblongo, secundo et tertio fere connatis æquilongo, apicem versus anulis tribus vel quatuor notato et intus seta longiuscula, extus scutis pluribus prædicto; articulo sexto et septimo minimis, hoc paullo latiore, ultimo vero omnium angustissimo; articulo sexto seta externa una, articulo septimo intus seta unica, apiceque scutis duabus armatis.

Prothorax trapeziformis; meso- et metathorax connati, quadrati, pedibus sordide hyalinis, alarum rudimentis nullis. Abdomen dilatatum fusiforme et segmentis septem compositum.

Longt. 0·24—0·646 mill., lat. 0·105—0·217 mill.

Nympha. (Tab. IV, e.). Flava capite læte-fuscescente, oculis fuscis, ocellis (vel oculorum vestigiis) læte-ferrugineis; antennis in statu post cutem larvalem exutam primo capitinis vertici reclinatis, seu capitinis lateribus connatis, statu posteriore vero sicuti cornua arietis distantibus. Prothorax, mesothorax et metathorax his imaginis similes; vaginis alarum ad corpus appositis flavis; pedibus albido flavis. Abdomen fusiforme, scutis e tuberculis prominentibus longiusculis armatum et apice imo corona quadrispinosa ornato.

Long. 0·392 mill., lat. 0·12 mill..

Speciem hanc pulchram Dn. Carolus Sajó in pago Kis-Szent-Miklós (Cottus Pestinensis in Hungaria centrali) sub foliis *Syringae persicae* legit et mecum benebole communicavit.

2. *Limothrips cerealium* auct. (Tab. IV., Fig. *f—k.*)

♀ Picea, vel piceo-nigra, nitida, laevis. (Tab. IV., *f.*)

Caput (superne visum) subquadratum (10 : 9·5), glabrum, postice paullo aciculatum; parte antica inter bases antennarum biacuminata et producta, basi antennarum vero nonnihil sinuata; parte postica paullo latiore, lateribus fere rectis (caput a parte inferiore visum oblongo-pentagoniforme); oculis oblongo-rotundatis, nigris, ocellis inter oculos tribus, perlucentibus, ocello antico minimo.

Antennæ (Tab. IV., *h.*) octo articulatae; articulo primo piceo, antice sinuato, lateribus subrotundatis (3·5 : 6), intus et extus singulis setis prædicto; articulo secundo primo concolore et fere duplo longiore (6 : 5), rotundato, sed apice truncato, basi vero paullulum constricto setisque duabus prædicto; articulo tertio flavide-fumato, basi petiolata hyalino. articulo

præcedente paullo longiore (7 : 4·5) et fere trigoniformi, angulo antico externo trichomate uno prædicto articuloque toto setis vel tribus obtecto; articulo quarto tertio paullo obscuriore, oblongo-ellyptico (6 : 4·2), apice obtuso, basi nonnihil constricto, setis vel tribus et angulo apicali externo trichomate uno armato; articulo quinto forma præcedenti simili (6 : 4) et colore hoc paullo obscuriore setisque quinque- vel sex instructo; articulo sexto fusiformi (9 : 3·4), apice basique truncato et quinto concolore, intus seta longiuscula et præterea setis nonnullis minoribus sparsim obtecto; articulo septimo omnium brevissimo (1·4 : 2), sexto concolore setisque duabus brevibus prædicto; articulo ultimo præcedente angustiore sed paullo longiore (2·4 : 1), intus et extus seta unica, apice vero setis duabus instructo. Articulus antennæ secundus articulo sexto plerumque concolor est, sed nonnunquam articulus secundus omnium obscurimus.

Prothorax subquadratus postice paullo latior (9 : 14·2) angulisque posticis rotundatis, pronoto aciculato; mesothorax (9·5 : 17) metathorace (0 : 16) connati.

Pedes corpore concolores et tibiis, posticis exceptis, setis minimis sparsissimis obtectis; tibiæ apice imo et tarsi toti flavi, vesiculæ sordide-hyalinæ. Femora antica crassissima (21 : 12·5), femora intermedia gracilima (fem. interm. 28 : 8; fem. post. 28 : 10), tibiæ posticæ longissimæ (tib. ant. 18 : 8·5, tib. interm. 24 : 7, tib. post. 32 : 8·5) et intus setis septem armatæ, quarum setæ apicales duas maximæ; tarsi metatarsique setis minimis instructi.

Alæ abdomen superantes vel apicem eius vix attingentes. Hemelytra (Tab. IV., i.) inter se haud contingentes apicibusque extrorsum vergentibus, ensiformia, fumata, basi latissima, venis duabus longitudinalibus, apicem hemelytrorum haud attingentibus prædita, margine antico setis ciliisque longis alternantibus, margine vero postico ciliis undulosis et setis minutissimis vestito; venæ longitudinales setis solum distantibus instructæ. Appendices hemelytrorum fumatæ et basi setis quinque præditæ. Alæ hemelytris subæquales, fumato-albidescentes et vena livida longitudinali una notatae, margineque ciliatae.

Abdomen fusiforme (60 : 20) segmentis decem compositum; segmento primo brevissimo, særissime a metanoto metasternoque obtecto, segmento secundo trapeziformi omniumque longissimo; segmentis 3—5 inter se subæqualibus, segmentis 5—7 latissimis; segmento octavo-nono trapeziformibus, apice angustioribus; segmento ultimo conico; segmento septimo in angulis apicalibus setis unicis prædicto, segmento octavo bispinoso, segmento nono spinis quatuor longissimis prædicto, segmento ultimo vero ante apicem denticulis duobus et pone hos setis duabus longiusculis armato.

Longt. 1·544 mill., lat. 0·32 millim.

♂ Femina concolor, plerumque piceo-niger nitidusque.

Caput (9:9·3) et oculi sicut in ♀, ocelli nulli; antennae his feminae similes; articulo primo secundoque omnium obscurimis et solum apicibus perlucidis; articulo tertio sordide flavo, articulis 4—5 subæqualibus, tertio obscurioribus, articulis cæteris sicut in femina [art. prim. 3·4:5·6, art. sec. 5·2:5, art. tert. 6·2:4·6, art. quart. 4·2:4·2, art. quint. 5:4, art. sexto 7·5:3·5, art. sept. 1·5:1·6 (lat. bas.), art. ult. 2·6:1 (lat. bas.)].

Prothorax (6·5:11·8), mesothorax (5:13·9) et metathorax (8:13·9), quam in ♀.

Pedes corpore concolores tibiæ autem anticae totæ, tibiæ intermediae posticæque solum basi, tarsi vero toti flavescentes; vesiculae omnes fumato-albidæ. Femora antica crassissima. Tibiæ posticæ setis solum parvis præditæ. Alæ nullæ, nec rudimenta.

Abdomen oblongum (30:14·5), ovale, segmentis decem (excepto primo) inter se subæqualibus compositum, partibus genitalibus segmentis nono et ultimo insertis. Segmentum nonum in medio marginis basalis denticulis duobus semierectis armatum et ad angulos apicales denticulis duobus (præcedentibus paullo crassioribus) instructum, segmentum hoc et ultimum setis duabus curvato-longiusculis vestita.

Longt. 0·944—1·0102 mill., lat. (abdom.) 0·2464—0·3088 mill.

Larva. (Tab. IV., j.) Aestate iuvenili albido-lutea, abdomine dilatato, æstate vero posteriore albido-crocea, abdomineque elongato. Caput subquadratum, oculis puniceo-nigris, ocellis nullis; antennis (Tab. IV., k.) octo articulatis haud distincte disiunctis, fumato-hyalinis; articulis 3—7 tunicatis, articulis 5—8 sparsim setosis.

Abdomen apicem versus setis nonnullis e granulis minimis emergentibus præditum.

Longt. 0·784—0·848 mill., lat. 0·1584—0·208 millim.

Nympha. Statu primo metamorphosim larvalem primam sequente sulphurea, statura larvæ similis, oculis nigro-puniceis, ocelorum ne quidem vestigiis, antennis liberis, vaginisque alarum stramineo-albidis; statu posteriore ochracea, oculis ovato-oblongis puniceis, ocellis distinctis, vel ocelorum vestigiis tribus croceis; antennis reclinati capitisque vertici adhaerentibus; vaginis alarum hyalinis, vel minime dilute-sulphureis, abdomine distantibus; abdomine fusiformi, apicem versus remote setoso, cæterisque corporis partibus his imagini similibus.

Longt. 0·912—1·44 mill., lat. 0·32 millim.

Specimina huius speciei hic descriptæ Dominæ Eleanor A. Ormerod et Domino R. Newstead, curatori Musci Chesterensis Grosvenorique appellati debeo. Domina Ormerod specimina legit apud St.-Albans (Magna-Britannia) in spicis *Triticum vulgaris*, Dominus Newstead vero ad Ince (ibidem, prope Chester) in spicis *Avena sativa*. Quum de auxilio hoc in perscrutatione speciei dubiae a Domina Ormerod et Domino Newstead

mihi præstituto commemorarem, eis hoc loco gratias quam maximas agere, officium mihi iucundissimum est.

3. Aptinothrips rufa Haliday (Tab. IV., Fig. l, m.)

♀ Fulva. (Tab. IV., l.)

Caput (10·4 : 7·7) oblongum, basi partis superioris quasi rugosum ceteraque parte haud distincte reticulatum, velut squamosum, lateribus rectis parallelis, margine antico in angulum lenem producto; oculis fuscis, triangularibus parte externa paullo rotundatis; ocellis nullis; *antennis inferioribus* (Tab. IV., m.), sexarticulatis, fulvis; articulo primo omnium dilutissimo, ultimo dimidio apicali fuscescente; articulo primo rotundato (4 : 6), setis minimis 3—4 prædicto; articulo secundo (6·5 : 5) subrotundato basi constricto, apice truncato bisetoso; tertio petiolato, pyriformi (6·8 : 4·8), extus trichomate uno gracili armato et setis nonnullis vestito; articulo quarto (5·9 : 4) et quinto (5·4 : 3·9) præcedenti similibus, extus trichomate uno et setis 2—3 longiusculis instructis; articulo ultimo (13·5 : 4) omnium longissimo basi petiolato deinde mox latissimo et apicem versus gradatim minuente, seriebus setarum haud bene distinctis quatuor prædicto.

Prothorax trapeziformis (8 : 11 basi) lateribus rectis, margine antico et postico subrotundatis, angulisque omnibus rotundatis; mesothorax (6 : 13 basi) et metathorax (3 : 13·9 basi) connati, apicem versus paulo dilatati, lateribus fere rectis; mesothorax et metathorax haud distincte reticulati.

Alæ nullæ.

Pedes corpore concolores, crassi, inermes; pedes antici crassissimi, pedes vero postici longissimi (fem. ant. 15 : 10, tib. 16 : 8; fem. int̄erm. 17 : 8, tib. 14 : 8, fem. post. 20 : 19, tib. 17 : 8); tibiæ omnes basi constrictæ et tantum tibiæ posticæ apice seta una præditæ.

Abdomen (59 : 17) elongatum, segmentis decem compositum; segmento primo omnium brevissimo; segmentis 2—7 quadratis, inter se subæqualibus; articulo octavo trapeziformi apicemque versus angustiore; articulo nono præcedenti simili, multo minore et ad angulos posticos vel tribus setis vestito, articulo apicali conico, apice imo picescente et utrinque quinque vel sex setoso.

Longt. 1·40 mill., lat. (ventralis) 0·274 mill.

♂ Mihi ignotus.

Etiam hanc speciem Domino R. Newstead debo, qui eam in specieis *Avenae sativae* cum *Limothripe cerealium* mihi admiserat.

Observatio auctoris. Specierum hic descriptarum primam (*Thripem ornatum*) haud censeo generis *Thrips* Hal. (s. l.) inserendam, id non solum ob numerum articulorum sed etiam ob alarum structura ceterarumque partium forma, quibus a genere *Thrips* optime distinguitur; descripta hæc

species ad creandum et ante genus *Thrips* Hal. (s. l.) ponendum genus pertinet.

EXPLICATIO TABULAE IV.

- a) *Thrips ornata* n. sp. imago ♀;
 - b) " " " ♂;
 - c) " " ♀ —e antenna;
 - d) " " ♀ —e hemelytrum;
 - e) " " nympha ♂;
 - f) *Limothrips cerealium* auct. imago ♀;
 - g) " " " " ♂;
 - h) " " " ♀ —e antenna;
 - i) " " " ♀ —e hemelytrum;
 - j) " " " larva ♂;
 - k) " " " larvæ antenna;
 - l) *Aptinothrips rufa* Hal. imago ♀;
 - m) " " " " ♀ —e antenna.
-